# XXXVI.

# JOANNIS MICRÆLII OBSERVATIONES AD HELMOLDI CHRONICON SLAVORVM, PRÆCIPVE AD QVASDAM *HENRICI BANGERTI NOTAS IN IDEM CHRONICON* EJUSQVE *ORIGINES LVBECENSES.*

EX SCHEDIS AUCTORIS AUTOGRAPHIS STETINI A. MDCLVII.

*Studium res patrias investigandi collaudat & incitat.*

Admodum gavisus sum, quod Cl. Dn. Bangertum animus incesserit talis, quo rem historicam & quidem in patria exornanda cupit exornatam. Rem aggressus est egregiam quidem, sed difficillimam. Novi enim, quanti constet ex profunda antiquitate verisimiliora eruere. Multa legenda, omnia conferenda; tenebræ nativo ingenii lumine discutiendæ sunt, quæ subinde sive a rebus sive a barbara autorum λέξει objiciuntur. Et quia historia patriæ nostræ plerisque seculis deficit, nisi ubi forte hostes obiter aliquid inspergunt, hinc sæpe offendimus inque medio cursu collabimur & multa ignoramus. Et plura ignoraremus, nisi HELMOLDUS esset in manibus. Codicem *Chronici* hujus *MSCt.*, quem servat regii gymnasii nostri bibliotheca publica & mitti sibi ac describi curavit ante paucos annos Sveciæ Regina, Cl. Bangertus me curante inspexit, ut ex illius aliorumque codicum collatione exploret, num vel sic correctior possit legi Helmoldus. Accessit hic liber MSCt. nobis dono regio, cum ante aliquot annos omnes libri ex aula, quos magnis sumtibus quondam comparaverat Princeps literatissimus PHILIPPUS II. (multis tamen antea voluminibus distractis, surreptis) autoritate *Dn. illustr. Legati* JO. OXINSTIERNÆ in nostram bibliothecam transportarentur. Feliciter fateor cl. Bangerto res cessit; commentario egregio, quem una cum ipsius primis historiæ Lubicensis pagellis legi relegique, & Helmoldum & patriam ornatiorem reddidit, circumspectis rationibus singula ponderavit, res Lubecenses aliasque a tenebris Helmoldo sæpenumero familiaribus per suam solertiam liberavit illustravitque, ut omnia placeant. Si quæ nunc annotavi, factum id æstimandum, cum cl. Bangerti, tum veritatis, quam uterque ex antiquitate eruimus, amore; ideoque candide illa interpretentur rogo.

*MSCta Helmoldi Stetinensia.*

*Vandali & Veneti an una eademque gens?*

I. In dijudicanda quæstione: *An Vandalorum & Wendorum vox unius sit gentis?* a scriptoribus proximorum seculorum *Cranzio*, *Pezelio*, *Blondo*, *Aen. Sylvio*, *Vegetio* puto ad antiquos autores transferendum esse. PLINIUS certe tempore *Vespasiani* divisit Germanorum gentem in quinque genera *lib IV. c. XIV.* & VINDELOS (male legunt aliqui *Vindelicos*) omnium primos numerat, atque ad eos refert BURGUNDIONES, VARINOS, CARINOS, GUTTONES; ex quibus *Burgundiones* collocati sunt in confiniis Poloniæ, antequam *Sarmatæ* illos occuparunt; *Varini* in Mechlenburgia, *Carini* in Pomerania occidentali, *Guttones* ad Vistulam, ut alibi demonstratum est. TACITUS tempore Trajani in *libro* de *Germania*, ut *Marsos Cambrivios*, *Svevos*, ita & *Vandalios* inter Germaniæ populos refert, tanquam a conditore gentis Vandalo Diis orto dictos. Noti iidem sunt inter Germanos. CAPITOLINO, OROSIO, JORNANDI, PROCOPIO & VOPISCO vocantur Βάνδιλοι: P. DIACONUS Vinilos & Wandalos distinguit. DIONI innotuerunt L. LV. montes Vandalici. CÆSARI Vandali non sunt noti, sed quia *Svevos* vocat gentem longe maximam, qui ex centum pagis singula millia armatorum quotannis eduxerunt bellandi causa reliquis domi manentibus quorumque a finibus agri ex una parte circiter millia passuum Ioc. vacaverunt, sub illis inclusit Vandalos. Inde recte omnes Vandalos dicimus esse Svevos, sed non omnes Svevos esse Vandalos: & secundum PLINIUM omnes Gothos Vandalos, sed non omnes Vandalos Gothos. Omnes igitur Reges Vandalorum quorum meminit CRANZIUS & *alii* ante Germanorum in Romanas provincias expeditiones, ceu fuere Scalius, Sturmius, Winus, Wisma, vel ex ipso nomine agnoscuntur Germani. Sed Wendi ut vulgo vocantur, nunquam a probatis autoribus nomine Vandalorum veniunt. HOMERO, HERODOTO, PLINIO, LIVIO *Heneti* dicuntur, aliis *Venedi*, aliis *Slavi*, & ab omnibus inter Sarmatas vel Sauromatas recensentur. Hos jam suo tempore TACITUS dicit alicubi sic se intermiscuisse Germanis, ut dubitaret, Germanis an Sarmatis eos adscriberet, & ab eis totus sinus Venedicus dictus est, teste PTOLEMÆO, qui nunc est Balthicus vel Codanus. PLINIUS certe lib. IV. c. XIII. aperte eos Sarmatis adnumerat: idem facit JORNANDES, qui vocat Winidos. Gens igitur Vandalorum & Henetorum non est eadem. SAXO *Grammaticus* tamen Vandalos & Slavos semper confundit, ratus semper littora balthica habitata esse a Sarmaticis populis. Historici est distinguere.

*Quinque germanorum gentes.*

*Varia Vandalorum apud autores antiquos nomina.*

*Wendi antiquis Heneti Slavi.*

II. Quod attinet quæstionem: *An Vandali tempore Honorii emittentes coloniam magna ex parte domi manserint & gentem suam in patriis sedibus propagaverint; an vero omnes egressi sint & nova gens in* CIMMERIO *bosphoro Heneti seu Vendi in eorum locum successerint?* dico, jam ante tempora Honorii aliquoties expeditionibus in provincias Romanas interfuisse *Vandalos*. Nam cum coiret omnis Germania in foedus contra J. Cæsarem, Domitianum, M. Antoninum, Valentinianum, interfuisse Vandalos certum est. DION sane testatur, tempore Antonii in Daciam transiisse Vandalos, & tempore Constantini M. nominatur Wismar rex Vandalorum a Gebericho rege Ostrogothorum interfectus; quo facto pars Pannoniæ reliquis a clade Vandalis, a Constantino concessa est. Tempore autem Honorii sub Caroco & Godigisio Vandali numeroso exercitu per Germaniam in Gallias contenderunt. Ex his fuit Genfericus, qui Romam diripuit & in Africam sedes fixit, quas usque ad Justiniani tempora Vandali tenuerunt: imo a Gothicis expeditionibus nunquam excludendi sunt Vandali, quia Vandalorum pars Gothi sunt. Hinc igitur Gothi

*De Vandalorum migrationibus & sede Venedorum in bosphoro Cimbrio.*

*Gothi Vandalorum pars.*

Gothi trans Viſtulam tranſierunt in orientem ſive ſuperato Albi, Viſurgi & Rheno in Galliam & accidentaliter Imperii Romani partes, Vandalia ſemper ſuos addidit milites: ſed tempore Honorii expeditio ſuſcepta præ reliquis dicitur Vandalica. Ibi hoc velim notari, quod Germani, quandocunque in bellum prodibant, una feminas & liberos ſecum duxerint, qui tanquam in proxima pignora ſanctiſſimi hujus teſtes eſſent, quodque acies quandoque jam labentes & inclinatas reſtituerint, ut loquitur TACITUS. Scilicet, ut Helvetii Cæſaris tempore, Cæſaris oppida, vicos & privata ædificia incenderunt, ut domum reditionis ſpe ſublata, paratiores eſſent ad omnia pericula ſubeunda, ita per crebras Gothorum, Vandalorum, Herulorum, Longobardorum, Svevorum (hi populi omnes ad Balthicum mare & in vicinia quondam inventi ſunt) provinciæ noſtrates incolis nudatæ ſunt, idque eo facilius, quod antiquitus in Germania nullæ habitabantur urbes, muris ſcilicet incluſæ; nec enim, ut conſtat ex TACITO, inter ſe patiebantur junctas ſedes, colebant diſcreti & diverſi: vicos locabant non connexis & cohærentibus ædificiis; ſuam quisque domum ſpatio circumdedit. Cum præterea Sarmatæ in vicinia (non a Cimmerio bosporo nunc demum progreſſi, nam per Ruſſiam, Moldaviam, Serviam, Raſciam jam dudum diffuſi erant) illas terras apertas cernerent, avide ingreſſi ſunt ſeque ſuperſtitibus (nec enim nullos incolas remanſiſſe certum eſt, licet fortiores egreſſi ſint,) ita permiſcuerunt, ut facile in habitum & mores ſibi conformarentur. Semper tamen permanſiſſe in oppidis maritimis utriusque linguæ uſum, demonſtravi in altera parte *Chronicor. meor. Pomeran. veteris.* Interim novis nominibus omnes in Vandalia, Svevia & Gothia antiqua vocari coeperunt. Alii dicti ſunt Pomerani, alii Wilzi, Velatab. Lutibii, Stoderani, Brizani, Obotriti, Circipini, Sorabi. Et cum in reliqua Germania Franci, Saxones, Thuringi & Svobeni pars Svevorum ad Helvetiam usque progreſſa (inde Schweizerorum nomen pro Helvetiorum) variis ſe bellis attererent, magna etiam pars Germanorum ad mare Balthicum ad Britanniam colendam quinto Chriſti ſeculo enavigaret, potentia Sarmatarum ſeu Slavorum (a Slava ſeu gloria dictorum) in Bohemia, Sileſia, Misnia noſtrisque terris quotidie incrementa ſumſit. Saxonibus inprimis multa bella cum illis gerenda fuerunt, adeo ut cum Longobardi in Italiam cum familiis integris tranſirent, ſexto ſeculo Saxones ſe illis ſociarent, ad patriam tamen antiquam reverſi ſunt faſtidientes ſupercilium Longobardorum, ut ex P. FABRICIO alibi demonſtravi. Slavi interea in novis ſedibus perſtiterunt, & quanquam Thaſſilo rex Bavarorum circa ea tempora magna eos clade adfecit in Bohemia, Hunnis ſe tamen jungentibus in Italiam usque penetrarunt. Septimo ſeculo Dagobertus Rex Francorum cum Saxonibus armis junctis Slavos ad tributum redegit. Octavo cum Carolus M. Saxones vel vi ad fidem Chriſti pertrahere conabatur, multi eorum ad Slavos conceſſerunt, & omne foedus cum illis adverſus Chriſtianos inierunt, & inſurgere coeperunt nova regna Slavorum illinc ſub Zeſſo in Bohemia, hinc ſub Leſſo in Polonia. Cumque idem jam diu conati eſſent Slavi inter Viſtulam & Albim, Imperatores a Carolo usque M. acriter reſtiterunt (*). Carolus certe Wilzos noſtros ad Albim adortus, regem illorum Wizantum, alias Wilzam interemit. In hoc bello Obotriti in Merſenburgia partes Francorum tuebantur. Et Slavorum multi fidem ſuſceperunt, inque noſtra inſula Rugia evangelium hoc tempore prædicatum eſt ſub Ludovico I. Sed paganiſmus denuo invaluit & Slavi Danis & Hunnis tunc temporis nondum converſis foedere arcto conjuncti ſubinde in provincias chriſtianorum impetum fecerunt. Illum tantum fregit Sec. X. Henricus Auceps & in uno prœlio per Bernhardum Ducem Lubecenſem CXXCIO. Slavorum obtruncavit & Marchionatum primum Brandenburgicum, illinc Miſnicum, iſthinc Moravicum & Auſtriacum condidit & tributa paſſim Slavis imperavit. Nihilominus bella recruduerunt tempore Ottonum. Diſſidiis autem internis attriti ſunt Slavi; qua occaſione uſus Otto III. Boleslao Duci Polonorum cum regii nominis & diadematis impertitione hoc negotium permiſit, ut Henetos paganos ad fidem Chriſti & ad ſuum obſequium pertraheret, ſic paſſim eccleſiæ erectæ ſunt, inque ipſa Colberga epiſcopatus fundatus. Sed rediere omnia ſub *Meſtibojo* ad paganiſmum circa annum CIOXXIII. Poſt illum Crito nepos ejus ex fratre Grimio (ut in *Genealogia Pomeranorum Principum* demonſtravi) Rugianorum & Lutitiorum princeps Dux a Slavis erectus usque in Holſatiam arma promovit, & Lubecam condidit. Agnatus ejus fuit Svantiborus ſtirps Ducum Pomeraniæ. Quo defuncto ſub IV. ejus filiis per Ottonem epiſcocum Bambergenſem Pomerania reſidua Slavorum paganorum pars ad Chriſtum converſa eſt. Circa idem tempus Dani Saxones & Poloni undique Slavos adorti ſunt. Exitus belli hic fuit: Qui chriſtiana ſimul & Saxonica lingua in Mechlenburgia & Pomerania citeriori occidentali loqui didicerant, membra Imperii tandem poſt multa bella facti ſunt. Quibus placuit Henetorum lingua, in Pomeraniam ulteriorem aut in Luſatiæ interiores partes receſſerunt. Pomerania illa ulterior ultra Chollenbergæ montes poſt hæc tempora dicta eſt Caſſubia & Pomerellia, in qua Dantiſcum: & hujus Duces quum defecerunt, terræ eorum non ad agnatos Pomeraniæ citerioris Duces, ſed ad ordinem S. Johannis in Boruſſia devolutæ ſunt. Citerior autem dividi coepit in tres Ducatus, quorum primus dictus eſt Stetinenſium in mediterraneis inter Ukermarſiam & Neo-marſiam porrectus, alter Pomeranorum juxta mare, tertius Slavorum ſeu Henetorum ſeu, ut vulgo confundunt, *Vandalorum* in confinio *Herulorum* & *Mechlenburgenſium.* Sed & Rex Daniæ titulum Regis Vandalorum (rectius Venedorum ſeu Henetorum) ante ea tempora uſurpare cœpit, cum Canutus & Svanto-

*Expeditio Vandalica ſub Honorio.*

Sarmatæ huc intrantes.

Variarum gentium nomina in Vandalia.

Slavorum potentia aucta.

Saxonum cum iis bella.

Slavorum clades in Bohemia, it. tributarii a Dagoberto R. facti.

Saxones tempore Caroli M. complures ſe Slavis aſſociant.

Pulſi ab eodem.

In Rugia evangelium prædicatum.

*Slavi ab Henrico demum Aucupe ſubacti.*

*Boleslaus Dux Polon. Rex ſalutatur* ut Henetos ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam cogat.

Crito in Holſatiam penetrat, Lubecam condit.

*Slavorum reliquiæ ad Chriſtum converſæ.*

*Slavia diviſa.*

*Rex Daniæ titulum Vandalorum ſibi vindicat*

(*) Vide *Meibom.* de Bardevico p. 9.

*rectius Venedorum.*

Svantopolcus Duces Mechlenburgenſes ſine hæredibus deceſſiſſent & ille autoritate Lotharii Imperatoris terras eorum tanquam vacuas adiiſſet, cum illi proximiores agnati ſupereſſent. De quibus omnibus eſt in *ſecundo lib. chronic. Pomer. veter.* Ex his omnibus jam patet, quid reſponderi debeat porro ad quæſtionem: Annon poſt emiſſam coloniam relicta domi imbellis multitudo a ſupervenientibus Henetis, ſuppreſſa ſit & cum eisdem in unam gentem coaluerit; quæ mixta gens & Vandalorum nomen ab antiquioribus incolis retinuerit? nam egreſſi ſunt antiqui Vandali cum uxoribus & liberis. Loca illorum facile occuparunt Heneti, ex Sarmatia. Vandali interea extra patriam aliis nominibus appellari coeperunt, & cum Saxones, qui cauſam Vandalorum tanquam cognatæ gentis ad ſe confugientis agebant adjuti ab Impp. & Dano vicinos novos tandem retrocedere cogerent, quicquid locorum occupabant ex his terris *Saxonica lingua*, quæ forte eadem eſt cum *antiqua Vandalica*, per Marſiam, *Mechlenburgiam* & *Pomeraniam* complebant, nova oppida *Saxonico jure* circumſcripta condebant, omnia Imperio Germanico ſubmittebant. Si qui incolarum receperunt SAXONUM & IMPERII JURA (quod quidem excepta Pomerania ulteriore ultra Chollenbergam ab omnibus factum eſt) ſui illis agri relicti ſunt. Et hac de cauſa concludo: Qui aliquam Vandalorum terram ad Balthicum mare & in vicinia colunt, partim ſunt origine *Slavi*, qui in *linguam & jura* SAXONUM ceſſerunt, partim novæ familiæ e Saxonia & vicina Germania illuc translatæ partim etiam reliquiæ antiquorum Vandalorum Henetis & Slavis permixtæ quondam. Ubi tamen nota, in toto Vandalia contigiſſe, quod in Pomerania noſtra factum teſtantur annales, ſcilicet novos ex Saxonia hoſpites ab initio non eſſe a Slavis ad *dignitates* admiſſos, illos viciſſim, quia paſſim *nova oppida* & arces condiderunt, leges inter ſe condidiſſe, ne Wendi ad *dignitates & tribus* inter ſe admitterentur. Quia autem MORES *Saxonum* elegantiores & leges mitiores erant, ſuperare reliquos coeperunt; & tranſiit in illorum habitum mores & linguam omnis populus, ita ut poſtquam imperio conjuncti ſunt Pomerani citeriores, intra LXX. annos omnis Wendorum lingua in deſvetudinem venerit illis retrocedentibus inprimis ad Caſſubos, quibus Wendorum mores magis placebant. Interim, quod hiſtorici, interque eos ipſe CRANZIUS & vulgus Vandalos & Wendos ſeu Henetos non diſtinguant nihil novi eſt. Nam in vulgus nec diſtinguere norunt Getas & Gothos, Caſſubos & Wendos, Ducatum Stetini & Pomeraniæ. Et jam HELMOLDUS confudit Vandalos & Winithos ſeu Windos. Dum igitur Lubeca & reliqua oppida ad balthicum mare vocantur Latinis civitates Vandalicæ, Germanis *Wendiſche-Stædte*, miror, vulgum Germanorum rectius ſapere, quam Latinos ſcriptores. Nam revera ſunt civitates Henetæ ab Henetis exſtructæ. Antiquis enim Vandalis, ut omnibus tum Germanorum populis, nullæ habitabantur urbes, ut ex TACITO allegavimus, & CONRINGIUS apud Helmſtadienſes integro tractatu demonſtravit.

*Vandali ab Heneris oppreſſi & cum his mixti retinuerunt antiquum nomen.*

*Vandalis demigrantibus ſucceſſerunt Heneti, cum relictis Vandalis mixti.*

*Lingua Vandalica eſt Saxonica.*

*Slavi linguam juraque Saxonum adoptant.*

*Accedunt novæ e Saxonia coloniæ.*

*Slavi demum in mores Saxonum concedentes*

*Linguamque & jura.*

*Confuſio varia gentium.*

III. Quod miratur cl. BANGERTUS nemi- *Hiſtoricorum ſilentium de Henetorum hac immigratione.*
nem autorum, qui circa tempora nova, populorum novorum in has terras immigrationes vixerunt, hujus ſedium mutationis meminiſſe, id mihi mirum non videtur. Nam cum primum immigrabant huc *Heneti*, nemo erat vel inter ipſos vel inter Germanos ſive Gothi eſſent ſive Vandali, qui per literas quicquam memoriæ mandabant. Græci autores hæc noſtra ignorabant, Romani, qui undiquaque proturbabantur ab emigrantibus Suevorum nationibus, de ſuis ſolliciti parum curabant, quod in ſedibus hoſtium relictis fiebat, præſertim quia inundationes Henetorum pedetentim fiebant ὲ μετὰ παρατηρήσεως, ut illud Luc. XVII. huc accommodem. Nec enim tam vi bellica quam vacuarum & a ſuis poſſeſſoribus relictarum terrarum occupatione omnia congeſta ſunt donec tandem Reſſus & Leſſus ex Illyrico novi Imperii auctores exſtitere, ille in Bohemia iſte in Polonia. Putant id factum circa annum IOL. VAPOVIUS ſubſequente ſeculo autumat, fratres illos vixiſſe. Tempus congruit horum fratrum cum illis temporibus, quibus Romana potentia ubique per noſtrates confringebatur. Bohemi & Poloni ſuorum conditorum ſtirpem inquiſierunt. Recte agit BANGERTUS, quod idem conetur in Wagris.

IV. Qui cum Mecklenburgenſibus & aliis ſcriptoribus recentioribus proſapiam Mecklenburgenſium Principum ab Anthyrio deducunt *Hiſtoria de Anthyrio fabuloſa.*
illumque dicunt originem paternam traxiſſe ab Herulis in Wagria, maternam ab Amazonibus, Alexandro M. in Aſia militaſſe indeque reverſum Bucephali caput in inſignibus retuliſſe, parvam fidem merentur; fruſtra antiquitatem captant à Græcis. Et ridiculum eſt taurinum caput in inſignibus Mechlenburgenſibus ad Bucephalum Alexandri referre. Bucephalus ille non *Bucephalus unde dictus.*
taurino ornabatur vel potius deformabatur capite; non enim taurinum ſed equinum bucephali caput fuit. Sed ita dicebatur, quia erat equus Theſſalus, Theſſalorum ſigno notatus; Theſſali autem equi omnes, qui generoſiores erant, nota taurini capitis inurebantur, & hinc omnes dicebantur bucephali, ut docti norunt. Ridiculum & hoc eſt, quod a tempore Alexandri M. ſeu inter Anthyrium & illum Regem, qui *Alii hiſtoricorum defectus.*
vixit anno poſt natum Chriſtum XXXV. nomine Hotherium, tres tantum reges ponunt, ut ita intra CCCLXX. annos tantum quinque Reges præfuerint. Sic etiam poſt Hotherium intra CCCLXX. annos tantum novem Reges ponuntur uſque ad Radagaſtum a Stilicone cæſum. An ergo ab Alexandro M. uſque ad Radagaſtum tantum XIV. generationes fuerint intra octo amplius ſecula, cogitet unusquisque.

V. Bilungus poſt Aribertum paulo poſt tem- *Bilungus ſtirps communis Mecklenb. Pomer. & Rug. Princip.*
pora Caroli M. mihi non ſine cauſa ſemper viſus eſt communis *ſtirps Ducum Mecklenburgiæ & Pomeraniæ, ut & principum Rugiæ*, ut puto me non obſcuris indiciis probaſſe *in genealog. Pomeran. Duc.* Sed illius majores in ſpiſſis ignorantiæ tenebris latitant. Gothorum genealogiæ, quæ nectuntur a Suecis, ſunt æque incertæ.

tæ. Omnia illi ſuis Suecis venditant, cum tamen Gothi peculiaris ſemper populus fuerint partim cis mare partim in transmarinis. PROCOPIO hic multa debemus, qui præ omnibus aliis, nobis debet eſſe commendatiſſimus. Ab hoc habemus, quicquid primis poſt Chriſtum quinque vel ſex ſeculis contigit inter majores noſtros. Scrupulus, qui injectus eſt ex *Syntagmate* p. 1389. ubi legitur: Meſtibojum cum Ottone II. in Italiam progreſſum eſſe, jam dudum a me expunctus eſt. Sphalma etiam, neſcio qua cauſa, irrepſit; debet tamen legi cum Henrico II. idque obſervari poterit in *chronico* meo *Pomeranico* part. I. fol. 195.

*Gothi an pars Vandalorum?* VI. Ego dubito & quidem admodum, an nempe *Gothi* pars *Vandalorum* fuerint. Nam Gothorum hiſtoriam ſi ſcrutor, amplioris & majoris ſemper nominis fuere, majores etiam res geſſere antiquitatis majoris. Et ſi verum eſt, quod multi & plerique ex recentioribus veriſimillimum faciunt, *Gothos* & *Getas* eosdem fuiſſe ipſosque *Myſos* teſte *R.* REINECCIO ortum debere Gothis, non videtur dici poſſe, quod Gothi ſint pars Vandalorum. Sic enim & *Getæ* & *Myſi* & multi alii populi poſſent dici Vandali. Exiſtimo potius, Vandalos fuiſſe illos *Suevos*, qui Saxonice locuti ſunt, diviſique in Weſtphalos ſeu Weſtwallos in Weſt-Vandalos & Oſtphalos. *Et ſic potius Vandalos haberem partem Gothorum, ſicut Gothi ſunt pars Suevorum.* Sed id cenſeo tantum dicendum, ſi ad antiquiſſima tempora reſpiciamus. Nam tractu temporis contradiſtingui coepere, ut *Suevi* Gothis, ſic Gothis Vandali & Saxones. Hinc cum ſecundum TRITHEMIUM quinque Reges (Saxonum, Thuriogorum, Teutonum Rugianorum & Francorum) ſe opponerent Gothis Saxoniam infeſtam habentibus, ſub *Saxonibus* puto Vandalos ſubintelligi & Gothos certe ſubinde bella adverſus Vandalos geſſiſſe certiſſimum eſt ex PROCOPIO & aliis, idque patet ex hiſtoria Wiſmari & *Geberio* in hac ipſa pagina a cl. BANGERTO citatis. Rhadagaſtum vel Rhadagaiſum memini me legiſſe *Gothum* & *Scythum* adhuc paganum, nullibi *Vandalum*. Certum eſt, ægre illum tuliſſe, quod *Alaricus* Gothorum Rex foedus cum Stilicone fuiſſet pactus, & ob id ad arma omnes Trangiſtranos & Trans-Rhenanos & procul dubio in illis Vandalos convocaſſe.

*Vandali ſunt Suevi*

*pars Gothorum*

*& Saxonum.*

*Rhadagaſtus non Vandalus, ſed Scytha.*

*Situs Retbræ urbis.* VII. Semper ego dubitavi ubinam urbs *Retbra*, aliquando etiam ab idolo Radegaſtum dicta, ſita fuerit. In meis documentis legi eam *Lutetiorum* fuiſſe, in medio aquarum, in diſtantia ab *Hamburgo* quatuor dierum. Si unum tantum Radegaſti templum fuit, uni loco alligandum eſt; ſi plura, nihil id mirum eſt, quia plura Jovi quam Marti templa. Hinc non mirum, quod cl. Bangertus templum Rhadegaſti poſtea ponat intra Tollenſem & Penam etiam in Pomerania; ubi ſimul nota, quod ſupra diximus, tauri caput in pectore Radegaſti non notare bucephalum, ut vulgus hiſtoricorum putat. Et id velim conſiderari, gentes indifferenter ſolem habuiſſe pro maximo Deo eumque, ut *Macrobius* & alii demonſtrant, omnibus cunctorum Deorum nominibus, ſicuti Lunam omnibus Dearum nominaſſe. Quia autem ſol in tauro eſt in exaltatione; hinc quoties *Apollo* i. e. ſol pingebatur, pingebatur vel cum taurino corpore vel ſaltem cum taurino capite. Et talem Apollinem vocabant Hebonem. Cogitemus hæc amplius ſi *Apim Ægyptium* in memoriam revocemus, Ægyptii ſane non tam aurum in formam tauri vel *Iſraelitæ* & *Aaronici* in formam vituli redactum, quam ſolem vel potius *mundi mentem* juxta paganorum Theologiam in ſole habitantem colebant. Hæc, ſi ita ſunt, idolum Radegaſti non a Radegaſto ſive Scytha ſive Gotho ſive uti cl. Bangert. putat, Vandalo nomen ſortitum eſt, ſed Radegaſtus ille heros ab idolo tantum dicitur, quod eſt Deus conſilii & ſapientiæ (*). Quid avicula in omnibus Radegaſti ſcilicet ſolebant *Heboni* ſeu *ſoli* ſeu *Apollini* varia ſigna hieroglyphica adjicere, jam ſtellas, jam ſignum victoriæ & cytharam, jam *Gallum*, jam ſerpentem, jam tripedem, aut caduceum, aut tridentem; & hic tridens forte novitiis pictoribus viſus eſt eſſe bipennis (**). Ceterum pervellem, ut corona Radegaſti, cujus particula Gadebuſi ſervari dicitur, Chymico traderetur ad διακρυσιν ſecundum artem.

*Prope Hamburgum.*

*Idolum Radegaſt.*

*Taurus notat cultum ſolis.*

*Avicula Radegaſti.*

VIII. Memini, me conſignaſſe lib. 2. *Pom.* p. 163. Witzanum eſſe a Carolo in acie ſuperatum. Dn. Bangertus hic documenta habere videtur, quibus circumſtantiæ plures probantur & ipſe Aribertus ſeu Aritbertus cum Witzano inter amicos Caroli M. numeratur. Inclino fere, ut duos Witzanos ſtatuam. Niſi grave eſt, communicet quæſo cl. autorum nomina, unde ſua habeat. Abſtruſa enim hæc in lucem producere, mihi eſt gratiſſimum. Video Witzanum ſcribente *Bangerto* eſſe a Saxonibus peremtum. Explicatius igitur ponendum eſſet, an Aritbertus & Wizandus primum Caroli M. hoſtes, & poſt cladem amici facti ſint. Mihi hoc notum eſt, ut patet ex dicto loco, Saxones ſub Draſicone peremiſſe Bilungum vel Willungum Obotritum (qui eſt Ariberti filius, alias Witſar dictus) ejeciſſe (***) Traſſionem tum Obotritorum Gottliebum Ducem cepiſſe vivum & laqueo ſuffocaſſe poſtea *Miroslavum* (****) & Ratiborum (alii vocant Milegaſtum & Caleadrogum Lubithi filios) de ſucceſſione in regno certantes ſe arbitrio Imperatoris Ludovici ſubmiſiſſe: Slaomirum, quod videtur Milegaſto in Ducatu ſucceſſiſſe, cum Obotriti deſeciſſent ab Imperatore, a Saxonibus captum, deductum eſſe ad Imperatorem Agſpharum: Raſtizium a Ludovico Rege Germaniæ, exoculatum: Geſtimulum a Lothario cæſum &c.

IX. Mihi ex documentis conſtat, Mislaum Billungo quidem non natum eſſe ex Wagonis ſorore Hodica, quum filius fuerit Medeæ paga-



(*) Neapolitani hoc nomine uſi ſunt, teſte *Capario* Tomo I. lib. 1. *hiſt. Neapolit.* c. 14.

(**) Aviculam Radegaſti vel cum avicula Othini comparandam vel ipſum eſſe gryphum Venedorum ſymbolum, vide in antiquitatibus noſtris de Tauro Cimbrico & Vandalico.

(***) Hoc fecit Gothofridus Rex Daniæ, ut ipſe *Micræl. Pomer.* lib. 2. p. 164.

(****) Hi Wilſſorum principes fuere. Id. *Pom.* 2 p. 165. *Abb. Stad.* a. 823.

næ in *tab. geneal. Duc. Pomer.* sed Sedericum & Nasconem esse Billungi & Hodicæ filios. Duo fuere Billungi; unus, qui a Mechlenburgicis historicis est Aritberti filius, alias Witsar dictus, alter, quem ego in *tab. Ducum Pomeraniæ* & alii mecum faciunt ex autoribus Mislai filium.

*De primo Lubecæ conditore.*

X. Problema est historicum, quis primus Lubecæ conditor? miratur cl. vir, quod in *Syntagmate* cum CRANZIO & HELMOLDO conditam dicam ab Henrico, cum ipse *Helmoldus* ejus tanquam jam tempore Godescalci conditi meminerit & alii eam faciant vetustiorem; sed qui verba mea in *Syntagmate* recte scrutabitur, deprehendet, me non Henrico sed *Critoni* fundamenta Lubecæ jacta adscribere p. 1391. idem facio in *Chron. Pom.* l. 1. p. 204. ut & in *geneal. tab. Duc. Pomer.* & *im Zeit-Register des II. und III. Buchs Zz 1. p. 2.* Tempore Critonis Imperatores erant Henricus III. & IV., Duces Saxon. Bernhardus II. ejusque filius Ortolphus Hamburgi conditor & nepos Magnus; in Dania Canutus II. & III. Magnus &c. in Mecklenburgia Godescalcus ejusque filii Buthue & Hinricus; in Pomerania Svantiborus Critonis socer; ipse Crito Grimmii filius princeps Rugiæ, agnatus Mechlenburgensium & Pomeranorum Ducum, circa hæc tempora ab Henetis idola sua tuentibus electus est Dux generalis exercituum. Genealogiam ejus hanc inveni, uti notavi alibi:

*Qui Crito fuit.*

Bilungus.
Micislaus.

| Grimmius. | | Mestibojus. | |
|---|---|---|---|
| CRITO *Lubecæ conditor.* | Wartislaus. RAZO *stirps Ducum Rugiæ.* | Bogislaus. SVANTIBORUS *stirps Pomer.* | Otto. Godescalcus |
| | | | Buthue HENRICUS *stirps Mecklenb.* |

Canutus II. Rex Daniæ & Godescalcus Dux Mecklenborgiæ graviter affligebant Henetos, continuabant bella Canutus III. & Magnus S. Olai filius, Rex Daniæ & Norwegiæ; illisque omnibus opem tulerat Bernhardus II. Dux Saxoniæ. Et circa hæc tempora præfuit idololatris Henetis Crito, ut ne putemus, eum demum post fata Bernhardi II. Ducis Saxon. qui obiit an. 1063. & Godescalci ab Henetis a. 1066. interemti rebus præfectum esse, quanquam Critonem exstruxisse Lubecam tunc demum referimus, cum reliqua ejus facta enarrata sunt. Crito certe ad decrepitam usque ætatem pervenit & ducta Slavina Svantibori Pomerani filia, potentiam undequaque stabilivit. Quo anno peremtus sit, ab Henrico Mechlenburgico per insidias uxoris Slavinæ, quam deinde duxit Henricus, non memini. Bernhardus II. Saxo coepit imperare anno 1011. & nunquam cessavit Henetis sese opponere per LII. annos, quibus præfuit, donec anno 1063. quod dixi, decederet. Crito adhuc superfuit a. 1102. & senex admodum duxit Slavinam filiam Svantibori, qui mortuus est an. 1107. Ponamus, Critonem octogenarium interfectum an. 1103. natum oportuit a. 1023. Cum juvenis esset XXIV. annorum, potuit jam exercitum ducere, potuit in Godescalci & Bernhardi II. teras irrumpere & Lubecæ propugnacula erigere & iterum expelli. Potuit Godescalcus pulso Critone coenobia ibi exstruere, potuit Lubeca ab uno Domino in alium transferri. Unum hic diligenter notari velim, quod & alibi monuisse me novi, quod historicis nostratibus per Germaniam ille dicatur civitatem condere, qui locum, etsi ante populosum, muris & propugnaculis circumdedit. Possem id variis exemplis demonstrare, nisi in propatulo res esset. Habitabant scilicet omnes Germani antiquitus, nullis cincti moenibus; sedes eorum non erant urbes, erant tamen cives. Quicumque circumdedit moenia, dicebatur urbem condidisse. Ita Stralsundia nostra antiquissima urbs est; sed ante paucissima secula Jaromarus eam dicitur condidisse, quia muris eam cinxit. Idem assero de Stetino; idem forte de Lubeca. Si vel maxime igitur coenobia erant Lubecæ, antequam fundamenta urbis ibi locata sunt, nihil absurdi dico: sed quod dixi, ante condita Lubecæ monasteria, potuit ibi Crito monasteria educere. Polonorum relationes nihil moror. Eorum jactantia de Ducibus Pomeraniæ ex spurio Polono natis, deque XXX. Popieli filiis ad Albim usque & ultra illam emissis & omnia sibi submittentibus, quasi majores nostri caudices fuissent & stipites, mihi primam dedit occasionem, hæc omnia profundius scrutandi. Fabula igitur Wisimari valeat. *In gemino Henrici Leonis itinere* versus Angliam nihil absurdi, quin potius id facile fieri potuisse & factum esse circumstantiæ monstrant. Exules dum opem vicinorum & amicorum implorant, non diu eodem consistunt loco. Lapides quod attinet, Henricus tertius Lubicensium episcopus, qui factus est episcopus a. 1172., in lapide dicitur ecclesiam a. 1170. ædificasse, & in *chronicis* ARNOLDI primum lapidem posuisse, conjectura cl. viri non admodum displicet; sed si adderem, Conrado II. episcopo, quum iter meditaretur in Palæstinam, additum fuisse coadjutorem vel administratorem Henricum, qui una cum Conrado episcopo interfuit fundationi templi, & ob id, cum in itinere defunctus esset Conradus, & templo postea consummato ultima manus imponeretur, dici potuit primum posuisse lapidem, interpretatio lapidis non esset contorta. Id obstat, utrum Abbas Brunswicensis potuerit esse simul Coadjutor Lubecensis? Responderem: Abbatem fuisse, antequam Coadjutor est factus, & cum episcopus est constitutus, historicos potuisse testari, eum ex Abbate factum fuisse episcopum. Præterea nihil novi in sacris ordinibus, uni plura officia commendari. Sic & Henricus Leo an. 1154. Lubecæ Dominus, Geroldum primum episcopum Lubecæ introduxit secundum lapidem, quum tamen Henricus Leo a. 1158. demum factus sit civitatis dominus, cum eam traderet Adolphus comes Holsatiæ, & præterea Geroldus a. 1163. demum episcopus Lubecæ constitutus sit, cum sedes episcopalis ex Aldenburgo Lubecam transferretur & Geroldus hactenus episcopatum Aldenburgensem aliquot annos gessisset. Ni fallor, Henricus Leo, antequam tradita est ei Lubeca a. 1158., jus aliquod prætendit una cum Holsaticis comitibus in urbem.

*Civitatem condere quis dicatur?*

*Hinrici Leonis geminum iter.*

*Henricus episc. Lub. ecclesiæ structor.*

*Geroldus episcopus introductus.*

bem. Dominus igitur & tum dici potuit, cum adhuc esset condominus. Et quia Geroldus episcopus Aldenburgensis a. 1154. jus obtinuit, ut ecclesias Lubecenses suæ dioecesi acciperet conjunctas, ipsique adeo munus visitandi & omnia in ecclesiis Lubecæ ordinandi injungeretur, rectissime poterat lapidi inscribi: An. 1154. *Lubecæ dominus* (condominus) *Geroldum primum* (postea) *episcopum introduxit in urbem*, ut jura episcopalia ibi exerceret. Si vel maxime Henricus Leo non habuit a. 1154. condominium, tamen cum lapis ponebatur post aliquot annos, quando jam Henrico Leoni urbs cessa erat, poterat inscribi, quod is Geroldum an. 1154. introduxerit, quia Geroldo episcopo Altenburgensi id permisit, ut dioecesi ipsius Lubecensis ecclesia jungeretur. Quia conjecturis sic standum, non est nihil eis dandum. Quod παροράματα aliqua notaverit vir cl., gratissimum est; plura si addet, quæ forte legenti occurrerent, ampliorem merebitur gratiam. Gaudeo, si intelligo, me aliqua jam notasse, cum notantur ab amicis.

*Wagria Obotritorum pars.* De eo non dubito, quod *Wagiri* & *Obotriti* principes iidem sint, nisi quod Wagria Obotritorum pars videatur. Id vero ignoro, an *Aldenburgum Lubeca* & *Mechlenburgum* eosdem semper dominos habuerint. Quod hodie fit, tunc quoque factum est. Principum filii in diversa dimissi, in hercisciunda familia diversa sortiebantur cognomina. Tandem *chronicon Holsatiæ* PETERSENII præfero autoritati CRANZII in quæstione de captivitate Adolphi, si circumstantias confero. *Adolphi captivitas.* Ceterum non nego, admodum mihi placuisse, quæ vir cl. de Lubeca nova ad Travam a Critone condita commentatus est. Sed ipso teste Crito sedem aliquamdiu in veteri Lubeca habuit; unde colligi potest, ab illo conditam esse eandem. Forte incido in aliquod MSCt., in quo congesta sunt fragmenta & excerpta ex REIMARO KOCKIO scriptore historiæ Lubecensis, BONNO, NIC. MARESCALCO: notavi hæc Marescalci verba ex lib. 2. annal. Herulor. c. 32. & 38. „Urbs Lubeca præsi„gnis sub Imperio Romano venerationis est Lu„cuniorum caput. A piscatoribus proditur „temporibus antiquissimis portu eo habitata, un„de Romanis olim nota. Godescalco dein He„rulorum seu Obotritorum Rege instaurata, qui „&arcem & laurarium ibi primus excitavit, Bu„te est nuncupata seu a Bute filio sive ad imita„tionem urbis βουτῆ quæ Sauromatarum ad „Moeotida teste cl. *Ptolemæo*, aut denique in „honorem filii Veneris, qui Bute. Ast Hinricus, „qui Butes germanus idemque Godescalci Regis „filius, coloniam magnam Lucuniorum dixit: „vulgus Lubecam lingua Vandalorum gentili, „quod amiculam significat. Sed & Lubemarus „ac Crito Grymi Rugii filius nonnihil addiderunt. &c.„ Prædictus *Nic. Marescbalcus*, non adeo notus est, nec ejus potestatem unquam habere potui; id displicet, quod post Hinricum dicit demum Critonem Lubecæ augendæ manum addidisse, nisi a histerologia. Luconiorum vel Lucuniorum nomen quid significet, item laurarium, & an hoc vocabulum recte scriptum sit, nescio. Fateor enim excerpta laudata ex Marescbalco non probe satis & distincte literis esse exarata, sic in illo Radegast scribitur Gadegast, *van welchen de Düvel Gadebusch den Nahmen hat*. Si conjecturis aliquid dandum, cur Lubecenses dicantur magna pars Lucuniorum, dicerem non exspirasse in terris Lubecensibus nomen Caluconum, quos *Ptolemæus* dicit habitasse ex utraque Albis parte, aut si Lugios *Taciti*, quos dicit ultra Sveviam egisse, in plures civitates diffusos huc emigrasse dicere placet, facile g. in k. potuit transire, ut vocarentur Lukii & mutata flexione Luconii. Conjecturas augebit CLUVERIUS *part. 3. Germ. antiqu. cap. 33.* *Luconiorum nomen unde Lubecensibus?*

XI. Quæ privilegia indulsit Leo a. 1163. Gutonibus seu Gutonis, vix aliis puto esse data quam Jutlandis i. e. Gotlandis & vicinis insulis, quarum nonnullæ nomen Gothicum adhuc præ se ferunt. Etsi enim tempore TACITI Gothones ad Vistulam usque nomen propagaverint; in littore Germanico Balthico tamen successu temporis post ingressum Sarmatarum & expeditiones Suevorum interque eos Gothorum in provincias Romani Imperii egressum desiit in hac plaga nomen Gothicum. CIMBRIS tamen in Chersoneso novum illud Jutlandiæ nomen accrevit, & quia circa tempora Leonis Gothicum regnum suos subinde habuit Reges ex sanguine Suecico prognatos, privilegium illud Leonis in eas quoque nationes potuit extendi. *Privilegia Gutonibus a Leone III data i. e. Gotlandis.*

XII. De nomine Hansæ, *Werdenhagius* jam prolixe disseruit, ut pauca addi posse videantur, nisi ut tantum probabilior opinio seligenda sit. Arridet *Bangerto* opinio *Scriverii* ex BANMEYERO, quasi hansa notet onus seu pecuniam, quam negotiatores exteri in emporiis solvebant, ut mercatura & transitus esset illis liber & tutus. Opinionis illius unicum præsidium est in privilegio Leonis Guthonibus an. 1163. dato, & in privilegio Philippi Neaportensibus an. 1168. dato, in quo pronunciantur liberi ab hansa & telonio. Sed ego nondum inde colligere possum, per hansam intelligi pecuniam vel onus aliquod. Telonio id significari non est dubium. Si autem per hansam intelligantur conventus & congregationes vel confoederati populi, uti alii id probant ex versione Codicis N. T. ubi concilium vertitur per hansam, sic ego interpretarer privilegium Leonis & Philippi. Negotientur libere Guthones & Neoportuenses Lubecæ aut alibi sine teloneo, i. e. vectigali, & sine hansa, i. e. licet non nomen dederint hanseaticis civitatibus, quæ in foedus arctius coierunt tempore Leonis & Philippi. Sic apud nos Stetini multis oppidis licet negotiari sine telonio, i. e. vectigali, & sine hansa, i. e. licet non sint in numero civitatum hanseaticarum. Præterea suspectus est mihi vir venerabilis Dnus *Werdenhagen* in eo, quod vocabulum hansæ faciat Vandalicum & Vandalos non satis distinguat ab Henetis, licet de illis distinguendis disputet, & illuc tantum inclinet, ut inter XIII. dialectos Vandalicas ponat Bohemicam mediam. Totus sum persuasus, vocabulum esse Germanicum. Faciunt huc nomina Anselmi, Ansberti, Ansgarii, Ansegiti, item Ansibariorum, quos *Hansa quid significet?* *Opinio Bangerti.* *Micrælii.* *Error Werdenhagen.*

TACITUS

TACITUS annal. XIII. a Chaucis pulsos ad Rheni ripam vacuos agros obsedisse & postea a Romanis cæsos esse dicit; & MARCELLINUS lib. XX. partem Francorum vocat Answarios aliter Ansuarios, inquietos homines & licentius in externa Galliarum percursantes, quos in ordinem redegit Julianus. Id unicum obstare posset, quod non vocemus *Hanselmum*, *Hansbertum*, *Hansivarios* vel *Hansibarios* sed absque aspiratione. Verum nihil usitatius, quam ut jam dicamus, Uldericum, Adrianum etiam Huldericum, Hadrianum, ideoque & sine distinctione jam *Hansee-Stædte* jam *Ansee-Stædte* aut *Anse-Stædte* vocantur. Quid igitur obstat, quo minus sensum verum & genuinum vocabuli dubii a JORNANDE mutuemur, cui Anses sunt proceres Gothorum post victoriam dicti quasi semidei. Anses igitur Gothorum erant, quos hodie Germani vocant *Helden*; Græci cum Latinis heroas, quos inter semideos relatos esse nemo dubitat. Et Jornandes Ansium seu heroum integrum nectit catalogum & ea ad tempora usque Justiniani deducit in familia Amalorum. In sensu igitur vocis a Jornande suppeditato *Ansee-Stædte* erunt civitates, quæ heroicis consiliis & factis se omnibus hostibus possunt opponere, inque quibus semper aliqui e populo selecti constituuntur, qui quasi in concilio quodam amphyctionico, quoties opus est, coeunt & de rebus ad salutem publicam pertinentibus decernunt. Anses igitur vocaremus hodie *die hochmögende Herrn Staten* ordines regnorum & provinciarum, assessores parlamentorum. Sic igitur Anses designant proceres & semideos, ut nihilominus hansa designet conventum, concionem, comitia. Utque fatear, quoties hactenus ego generosos homines vocare audivi *die grosse Hansen*, non deduxi illud vocabulum a nomine Johannis, sed ex voce Ansium Jornandiana. Nec spiritus literæ vel additus vel detractus officit; nam Græcorum & Germanorum H. Latini jam addunt jam omittunt, quod vel ex nomine Johannis & Joannis patescit.

*Jornandis opinio.*

*Hodicæ mentio.*

XIII. Hodicam dictam fuisse & sororem Wagonis episcopi Altenburgensis nuptam Billungo, & ejus filiam memini me legisse apud CRANZIUM; & propterea etiam transtuli in *tabulam genealogicam majorem Ducum Pomeraniæ*, licet sine nomine matrem posuerim p. 188. part. 1. *Chron.*, ubi historiam recenseo. Idem dico de anno mortis Billungi. Quam primum otium erit scrutabor. Nomen Boravisen legi in MSCta historia (*) ep. Caminensis *Petri Wujæ*. Placet interim viri cl. observatio ex veteri *Saxon. Chronico*, sicuti & de viridi folio in manibus Siwæ, & inprimis, quod diligenter notavi de patria Helmoldi, in quibus non invenio, quod improbem. Observavi alicubi, numeros duplicari; observavi ipse plura ejuscemodi παροράματα, quæ corrigenda sunt, si forte adornabitur secunda editio.

*Blusso Holsatus.*

XIV. Rationes, quibus Vir cl. vult probare Blussonem Godescalci sororium non fuisse Holsatum aut Stormariensem, sed Vandalum, videntur amori nationis adscribendæ; mihi non sufficiunt: & forte est, quia Vandalus sum. Nam (1) Vandali sororem potuit ducere Holsatus, sicuti Vandalus Godescalcus duxit uxorem Danicam; (2) quia causa tumultus fuit non tam, ut regnaret Blusso (nam Godeschalco interemto supererant filii Henricus & Buthue) quam (3) quia infensus erat affini ob christianismum, quæ causa reliquos omnes idololatras concitavit cum in Vandalia tum in Holsatia, (4) quia intestinorum tumultuum causæ plerumque solent esse intestinæ, & cladis in Holsatia autor Holsatus seditiosus potuit esse. (5) quia ex locis, in quibus & Godescalci & episcopi Suerinensis Johannis factæ erant cædes, junctis scilicet Vandalorum & Holsatorum idololatrarum armis & in plura loca perlatis, Blusso rediit ab exercitu tumultuantium domum, puta in arcem suam; permeaverat tamen cum aliis plura loca, in quibus Christiani degebant & ad necem quærebantur. (6) quia, cum Crito expeditionem suscepit contra Stormariensis & Holsatos, extinctus est Blusso, scilicet cum degeret inter eos & a seditiosis civibus tumultus excitatus esset, forte quia rectius coepit de religione sentire, ut propterea vocatur a *Marescalco* vir integerrimus.

*Treva Ptolemæi, non est Trava.*

XV. De Treva *Ptolemæi* discursus *Thracigeri* non potest arridere. Nam Treva ponitur a Ptolemæo in longit. 33. in latitud. 33 $\frac{0}{-}$ 40. Chalusi ostia in longit. 37 $\frac{0}{-}$ in latitud. 56 $\frac{0}{-}$. Vel quatuor igitur gradibus longitudinis, in latitudine 56. i. e. 33. præter propter oportet milliaribus germanicis Trevam versus occidentem remotam esse ab ostiis Chalusii. Trava igitur in vicinia Lubecæ nullo potest modo Treva *Ptolemæi* esse, quanquam libenter fateor, nec Hamburgo quadrare exacte situm Trevæ; nec est, ut errorem Ptolemæi allegemus. Quam studiose suas tabulas congesserit & ex quibus fundamentis, dixi in *Chron.* part. I. p. 10. & 28. Conjectura de vocabulo Cluss nulla est; recentius enim est illud, quia trahitur a monachorum habitationibus, quas vocabant latine claustra, germanice *Clausen*, *Clusen*. Sic adstruebantur monasteriis ædes aliæ; transibant claustra in oppidula. Hinc passim inveniuntur nomina & in nostra Pomerania *zur Cluss*, *der Klüzer-Winckel*.

*Clusi?*

*Rhetra urbs.*

XVI. Rhetra non potuit esse ipsa urbs Mechlenburga, ut censet *chronicon Saxonicæ vetus*. Radegastus in tribus oppidis colebatur, ut Rhetræ, Mechlenburgæ & Vinetæ; ut significavi part. 2. *chron.* p. 421. Rhetra pariter & Mechlenburga non debent confundi. Rhetra enim in Pomerania Orientali sita erat *zwischen der Reene und der Tollense*, qui sunt duo fluvii, ut alibi demonstratum.

*De Slaviæ episcopatibus.*

XVII. Quæritur: *Quomodo Slaviam Otto M. potuerit tribus episcopis tribuere, cum uni tantum assignanda videatur?* sæpenumero HELMOLDUS, cum Slaviam nominat, omnes populos intelligit, qui Slavonica lingua utuntur juxta Balthicum mare; nonnunquam vocem arctius sumit, ut legenti patet. Uni interim episcopo nunquam tota Slavia subjecta fuit. Hoc illa ipsa loca arguunt, quæ vir cl. allegavit. Nam lib. I c. 6. ipse Helmoldus dicit: MAGNA EX PARTE Winithi Slavorum populi (pars Slavorum) in Marchia

(*) Edita ab *ill. de* LUDEWIG Scriptor. rer. germ. T. II. p. 503.

chia Brandenb. & Havelb. usque ad Poenim respiciunt parochiam Hamburgensem. Sic quod lib. I. c. 11. dicitur de episcopatu Magdeburgensi, cum primatum acciperet in Germania, jus etiam accepit in Slavorum ecclesias, contradicente tamen Altenburgensi, qui sibi vendicabat Slavos in terra Wagriorum. Deinde quod dicit vir cl. recte observatum est, decennium Helmoldo addendum esse in annis coronationis Ottonis M. Coronatus est non a Leone VIII. sed a Johanne XIII. & quidem a. 962. quanquam alii ponant a. 963. eodemque anno depositus est & Leo VIII. electus a. 964. Constant hæc tum aliunde tum ex WITTICHINDO. Et ita sublatum etiam est tertium dubium, quod movit FABRICIUS Chemnicensis: etenim *Fabricii* sententia stabilitur per prædictum Wittichindum. Intravit Otto M. Romam an. 962. Vix tergum verterat Papa (Johannes XIII. nempe) foedus init cum hostibus Cæsaris & lacessit Græcos & Hungaros adversus illum. Adest iterum Cæsar sequenti anno 963. Fugit Roma Papa, ad adventum Cæsaris, deponitur, cives jurant Cæsari, Leo VIII. eligitur. Johannes XIII. ex latibulis suis persuadet Romanis, ut in Imperatorem impetum facerent. Quod quarto vir cl. scribit, illi consentio, quem Wizanum vicit Carolus, is fuit Dux Ariberti. Qui Wizanus fuit amicus Caroli, Aribertum non videtur agnovisse dominum. Consentio & quinto, nam præsidente Coelestino Bernwardus relatus est in sanctos; præsedit autem Coelestinus non a. 1184. sed ab a. 91. ad an. 98. Memini certe, plura occurrere in Helmoldo, quæ scrupulum inveniunt. Sic Hermannum anti cæsarem vocat Clufloch p. 26. seu Duffloch, alii vocant eum Knoblauch. Petrum p. 26. qui Vichnonibus nescio quibus bellum sacrum suasit, vocat Hispanum; alii Francum ex civitate Amiens. (Wolgastum p. 33. dicit a Julio Cæsare conditum, quam Juliam Augustam; sed etymologia vacillat. Ita Burchardo II. Sax. p. 20. v. 43. adscribit 40. annos, alii 52. Ceterum non puto autoritatem *Ottonis de S. Blasio, Byzari & Sigonii* præferendam esse Helmoldianæ & Güntherianæ. Nam vix potuisset Cæsar Romam in potestatem redigere, nisi Jenuanis seu Genuensibus prius in partes tractis, quia stabant ab hostibus. Et quomodo ante Romam expugnatam Ancona ad mare Adriaticum sita hoc tempore, quo per Lombardiam tendebat Cæsar versus Romam, oppugnari & expugnari poterat? hærebat sane exercitus Cæsaris ad mare Tyrrhænum, cum hæc agebantur. Ancona nimis ab ejus armis erat remota. Et memorabile est apud Guntherum, quod Genuenses Roma petita pretio fraudem marcarum mille redemerint. Pace igitur, postquam desciverant, per fraudem impetrata poterant postea amici Cæsaris hoc ipso anno dici. Interim non negaverim, Roma obsessa & expugnata Cæsarem simul Anconæ potuisse arma expedire, ut ita reliquorum autoritas maneat etiam salva. Unum mei causa forte adhuc quæri posset. Eum alii dicant Johannem XII. fuisse, a quo coronatus sit Otto M. quare ego in *syntagmate meo* eum nominarim Johannem XIII. causa est, quia cum Seculo IX. ab aliquibus historicis collocetur Johannes VIII. quem tenent foeminam fuisse post Leonem IV.; ab aliis ille omittitur. Hinc Johannes, qui post Hadrianum II. sedit aliquibus vocatur IX. (quibus me jungo) ab aliquibus VIII. Et hæc ipsa etiam causa est, quare omnes Papas, qui Johannis nomine post VIII. veniunt duobus numeris signem e. g. Johannes XIII. (XII.)

*Helmoldi emendatio.*

*Fabricii locus illustratus.*

*Wizanus a Carolo devictus.*

*Animadversiones aliæ in Helmoldum.*

*Locus syntagmatis Micraeliani de Joanna Papissa vindicatus.*

XVIII. Ego puto Helmoldum & Adamum Bremensem atque Albertum Stadens. facile posse conciliari in quæstione de clade a Slavis Mestibojo Duce Christianis illata. Nam Bernhardus quamprimum patri successit coepit cum Mestibojo seu Mistoveo conspirare adversus episcopos. Jam igitur anno 1013., cum Libentius obiit, Bremensi & Hamburgensi episcopatui multa a Vandalis apostatis ademta sunt & duravit tumultus usque ad an. 1023., ubi contigere demum, quæ Bremenses coepisse dicit, Helmoldus facta esse testatur. Quod scribitur de Demino Castro, quod Dux expugnaverit, quum tamen omnem terram Obotritorum reddiderit Dux Primislao jam quieto, notandum est, quod Deminum nunquam fuerit in ditione Primislai Mechlenburgensis, sed Pomeranorum Ducum, quos tunc temporis Dux habuit quibusque eripuit Deminum, cum incolæ illinc in silvas abiissent. Duces Græciæ tempore Friderici I. adhuc plurimi erant, quos inter beneficiarios fovebat Imperator Græciæ quosque deinde Saraceni & inprimis Ottomannica domus necavit, expulit, exstinxit. Non igitur puto, Joannem Ducem statim innui, si Ducis Græciæ forte fit mentio. Annum, quo Henrici II. Regis Angliæ filia adducta fuit Henrico Leoni, inquirendum puto ex *Camdeno, Triveto, Parisio* vel aliis Anglicis scriptoribus. Interim non mirum est historicos in annis annotandis variare. Res, quæ coepit uno anno, potest altero finiri; hinc unus ad priorem annum ea refert, alter ad alterum. Potest & error obrepere ex re minus cognita.

*De clade Christianorum sub Mestibojo Slavorum Duce historicorum dissensus apparens.*

*De Demino expugnato.*

*De anno nuptæ Henrico Leoni R. Angl. filiæ.*

Tantum.

## XXXVII.

## M. BERNHARDI LATOMI ORIGINES PLESSIACÆ MEGAPOLENSES

COLLECTÆ A 1611. EX AUTOGRAPHO QUOD SERVATUR IN TABULARIO SVERINENSI.

*Die* von Plessen *haben ihren Ursprung aus dem Hartz* vom Hause Plesse, *und sind mit Hertzog* Hinrich *aus* Bayern *und Sachsen, dem Löwen genant, für 600. Jahren die Slaven oder Wenden vertilgen zu helffen, in dis Land mit kommen. Es sollen aber ihrer drey zugleich in diesem Zuge gewesen, und zween, deren einer ein Rittmeister gewesen, in der Schlacht bey* Schlagestorff *geblieben, und nur der dritte* Helmold (*) *genand bey Leben erhalten seyn, welcher als er wiederum in seine Heymath ziehen wollen, vom hochgedachten Hertzoge zu bleiben gefordert, und alss er solches mit denen Worten:* er hætte hieselbst kein Wesen, *verweigert, soll der Hertzog dagegen angefangen*

Plessiacorum origo e tractu silvæ Hercyniæ.

Helmoldus militat adversus Slavos.

Possessiones ab Henr Leone obtinet.

(*) Quem Ducem militiæ fuisse annales perhibent.